

& opposito decremento in vase B, partim ex flavo colore aquæ tintæ adhuc ex prioribus experimentis, quæ in locum limpidae ex vase B in tubum B A C manifestò succeslerat; dum interim bullæ aëreæ copiosæ per medias aquas etiam hoc in casu elevabantur.

XI. Enimverò, cùm vasi B aliquousque jam evacuato <sup>Phæn. XI.</sup> novam infudissemus aquam, expectantes ejus continuatum ascensum; ecce subitò ipsam consistere observavimus, nullo amplius aut decremento in vase B aut incremento in vase C notabili, excurrentesque confessim in contignationes horrei superiores, deprehendimus supremam recurvi tubi flexu- ram ad H ab aëre multo jam occupatam. Et eramus qui- dem, non hanc solum experimenti partem, sed & priorem sub altitudine siphonis majore 34. pedd. Rhinl. iteraturi, posteaquam locus subrepentis aëris ex ipso bullarum exortu satis innotuisset, atque adeò malo huic fieri medicina facilè potuisset; nisi novo quodam infortunio nostro nonnemo è spectatoribus, demptorum antè superiùs & paulò post restituendorum tubolorum unum alterumque confregis- set, quibus equidem quos substitueremus tum non habe- bamus.

XII. In aliam igitur occasionem experimenti hujus magni (sic enim haut minori jure id, credo, possumus appelle, quàm quo Paschalius suum in monte Avernæ Puy de Domme circa Baroscopium institutum *la grande experience* vocavit) perfectionem differentibus, nec acquieturis donec omnibus numeris absolutum expectationi nostræ indubia responderit, satis hac vice erat hæc duo, tametsi non sine quodam impedimento interlabentis aëris (quo sublato cer- tum erat rem omnem adhuc evidentiùs fuisse successuram) ostendisse: 1. Quòd per siphonem altum 25 $\frac{1}{2}$ . pedd. Rhin- land. aqua transfundi ex uno vase in alterum, aut ex loco paulò altiore in paulò humiliorem possit, adeoque Portæ alio-